



**Oratio de incarnatione Filij Dei, Domini ac Liberatoris Nostri  
Iesu Christi : in qua repetitur doctrina ecclesiae orthodoxae:  
de vnione duarum naturarum in Christo: & exponuntur  
causae, cur in persona mediatoris natura diuina & humana  
vnitae sint : recitata in inclyta Academia Marpurgensi ipsa die  
natali Domini nostri Iesu Christi, incipiente anno eius  
millesimo quingentesimo septuagesimo octauo, hora prima in  
Collegio Lani**

<https://hdl.handle.net/1874/424760>

8  
ORATIO  
**DE INCARNA-**  
TIONE FILII DEI, DOMINI AC  
LIBERATORIS NOSTRI IESV  
CHRISTI


in qua

REPETITVR DOCTRINA EC-  
CLESIAE ORTHODOXAE: DE VNIONE DVA-  
rum naturarum in Christo: & exponuntur cauſe,  
cur in persona mediatoris natura diuina  
& humana vnitæ  
ſint

RECITATA IN INCLYTA ACADEMIA MAR-  
purgenſi ipſa die natali Domini nostri Iesu Christi, incipiente anno eius  
milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo octauo, hora  
prima in Collegio Lani

A

Magnifico, Illustri & genero  
SO COMITE AC DOMINO, DO-  
MINO HIERONYMO SCHLICK, COMITE DE  
Passaun, Domino in Vveifskirchen & Schla-  
ckenverda, academæ Marpurgens-  
is Rector.



# Illusterrimis Principibus ac Do-

MINIS, DOMINO VVILHELMO, ET DOMI-  
NO LVDOVICO Landgrauis Hassiae &c. fratribus,  
heroica pietate, sapientia, & animi magnitudine præ-  
stantibus patribus patriæ, & nutricijs incolitæ Acad-  
miae Marpurgensis benignissimis: Dominis suis  
clementissimis, & obseruantia ac fide  
perpetua colendis.

HIERONYMVS SCHLIC CO-

MES DE PASSAVN, DOMINVS IN

Weißkirchen et Schleckenwerda, Marpur-  
gensis Academia Rector

S. P. D.



M N I V M operum diuinorum haud dubio sima-  
num & admirabilissimum est, quod filius Dei,  
et deus in eterno patri, carnē nostrā sic assum-  
psit, ut qui uerē, & essentialiter, et ab eterno  
Deus erat, circa mutationem aut conuerstionem ul-  
lam, homo in tempore factus sit. Id opus longè ma-  
ius creatione, nulla uel hominum uel angelorum sa-  
Pientia comprehendere penitus potest, ac angeli potius ipsi, in hoc my-  
steriorum quam maxime intentis oculis intuentur, cum stupore admirantes  
duarum dissimilatarum naturarū copulationem in Christo δε αὐθεώπιον.  
Sed cum initia huius sapientie in hac uita discenda, & aliquomodo  
magnitudo huius operis consideranda sit, ut immensitatem amoris diuini  
quomodocunq; afficianus, & nos ad seriam iuuocationem et gratiarum  
actionem erga Deum exuscitemus, sepe de hoc mirando fodere duarum  
naturarum singulos cogitare necesse est. Idq; ardenter studio pios face-  
re decet hoc ipso tempore, quo Ecclesia totius orbis Christiani, memo-  
riam nativitatis Christi in his terris celebrat.

A 3

Ego

Ego quidem quoties de hoc mysterio cogito, ardenter a Deo petere soleo, ut quoniam ex ore infantum & lactentium laudem sibi vult perficere, suo spiritu meum quoque animum infantilem sic regat, ut uel aliquomodo magnitudinem huius inenarrabilis operis diuini estimare, eaque in hac uita & tota eternitate gratias agere possem, quod tanta misericordia & aetmore complexus sit genus humanum, etiam post Iapsum tristissimum, ut decretum fecerit de filio mittendo in carnem nostram, ut & similis nobis per omnia fieret excepto peccato, & in carne a nobis assumpta paucam pro nobis persolueret.

Sepè etiam ad magnitudinem tanti operis quomodo cunq; estimandam, hac puerili manu ductione uti soleo, ut meipsam & alios homines aspiciens cum seria admiratione cogitem, quam nulla sit prorsus collatio hominis, non modò sed cum Deo conditore comparetur, sed etiam si ad preciarias mundi partes conferatur, sic enim fieri in animo meo sentio ut tantò magis admirari incipiam, quod tantilla hominū natura unita atque copulata sit cu natura dissimilima, cui prorsus est & ueretur p[ro]p[ter]o, seu cum qua nullam omnino proportionem habere potest.

Etenim cum terrenum hunc globum aut mente considero, aut in tabulis pictis contemplor, tantam terrae magnitudinem esse reperio, ut homo, si cum orbe terreno conferatur, tot marium, fluminum, siluarum, montium, nullum, urbium, regionum, prouinciarum, regnorum amplitudinem complestante, uix rationem aliquam sensibiles proportionis habere videatur.

Iam uero cum terram ipsam cum celo extremo conseruo, multò magis hunc ingentem terrae globum, ad illam inestimabilem coeli magnitudinem collatum, puncti rationem habere animaduerto, cuius pars nulla est. Nam si uera sunt, que Mathematici certissime demonstracionibus tradunt, etiam minime stellulae in firmamento, quantumvis propter summam altitudinem uix minimis facilie, aut scintillis aequales uideantur, multis tamen modis grandiores sunt globo terreno: Et sol, cuius tam uastum corpus, exiguum, id est, pedalis disci magnitudinem nobis in medio mundi habitantibus ostendit, uniuersam terram, que nobis uidetur uastissima, magnitudine sua ita uincit, ut centies sexages sexies maior sit tota terra, hoc est, ut centum sexaginta sex terreni globi in unam molem conflati, uix uno corporis solaris amplitudinem equare possint.

ad 10-

Ad totam uero celi extremi usus latitudinem & amplitudinem collata terra, nullius magnitudinis esse estimatur, & ut punctum, omni longitudine, latitudine, & profunditate carcere perhibetur.

Quod si ad celi circumflexum, puncti rationem terra obtinet, & ad hanc ipsam terram hominum natura collata, uix uermiculi alicuius tenuissimi speciem habet, quemam hominis, ad extremi illius celi omnia ambientis amplitudinem collati, proportio esse potest? Quanquam uero laudatur ab eruditis Plinius dictum: Hic mundus finitus, infinito similis est, propterea quod nullo sensu incredibilem illam celi magnitudinem comprehendere possumus, tamen sine illa dubitatione uerissimum est, et apud omnes sanos extra controversiam positum, nullam rationem esse totius machinae mundi, atque illius, ut sensibus nostris appareat, immense molis atque amplitudinis extremi celi, si ad infinitissimam immeasurablem essentiae maiestatis diuina conferatur. Que potest enim finiti, quantumcumque magnitude, & uisitate amplissima emineat, si tamen certis metris ac terminis inclusum esse intelligatur, proportio esse ad infinitum, cuius neque initium, neque medium, neque finis ullus reperiri potest: aut que creatura collatio instituti potest, cum creatore, qui cum solus sit immensus atque infinitus, omnia alia a se creata dispositi in mensura, & numero, & pondere, quicunque pugillo suo aquas, & coelos palmo dimensus est, & trium digitorum mensura puluerem terrae continuat, et ponderauit in trutina montes, & colles in libra, quemadmodum scriptura loquitur.

Quis igitur non uelut attonitus obstupefacat, quod immensa atque infinita, & prorsus incomprehensibilis illa maiestas diuina, tam prope sibi adiungit tantillam hominum naturam, ut filius Dei per quem omnia facta sunt, non hominis modo sed infantuli, sed Embryonis quoque tenerissimi massam sibi uniat, Magna sane dignitas humanae nature fuit, quod ab initio illam Deus ad imaginem suam canditam tanto amore & cura complecti uoluit, ut terram, & cetera Elementa, ac imprimita stellarum, tam grandia corpora, tam apte collocata, tanta pulchritudine exornata, in usus multiplices solius hominis praecepit, creavit, tanta virium uiriate distinxit, & quotidiani souet ac sustentat ad eiusdem hominis usum, cuius tamen tanta est pusillitas, ad illa immensa corpora collata, ut ne pulsuum quidem alicuius modum equare videatur.

Hanc tantam dignitatem, cum homini, mox ab illius creatione imide-

ret Diabolus qui egrē feriebat tām exilem creaturam ex puluere terre e-  
ductā, ita condi, ut angelos summis donis ornatos equaret, & cū ipsos  
ministerio suo deslinatos, tūm omnes cæteras creaturas usui suo seruente-  
tes haberet, partim superbia, partim imidicita motus, posteaquam de-  
fecisset à Deo : & semetipsum in eternum exitum præcipitauit, et homi-  
nem ad lapsum tristissimum impulit.

At uero longe maior est bonitas & φιλανθρωπία Dei qua in repa-  
ratione hominis se exeruit. Qod enim testimonium amoris Dei erga  
genus humanum, aut quod argumentum dignitatis naturæ humanae excelle-  
lentius cogitari potest, quam quod intercedente filio Dei, adeò non perire  
genus humanum Deus uoluit, ut ad eius quoq; restitucionem decretum fe-  
cerit, de filio mittendo ad assumendam humanam naturam : Quod decre-  
tum in prima promissione patefactum: tandem anno mundi ter nullissimo,  
nongentesimo, sexagesimo secundo impletū est cum filius Dei propter nos  
homines & propter nostram salutem descendit de cœlis, & homo factus  
est. O ingentem humilitatem filij Dei, qui cum sit leboua, Deus in excel-  
sis, aspicere tamen nos in forma hominis dignatus est. O admirabile uero  
commercium, ut p̄ Ecclesia hoc tempore canit quo creator generis hu-  
mani, mortale corpus assumens, ex virgine nasci dignatus est, & proel-  
dens sine uirili semine largitus est nobis suam Deitatem.

Auget uero tanti mysterij magnitudinem, modus ipse assumptionis hu-  
manæ naturæ, quem esti fatetur Ecclesia & p̄ntop & imperfcrutabilem  
esse : tamen quantum in uerbo Dei reuelatus est, considerandū pijs pro-  
ponit, ut fidem ac confessionem nostram segregemus ab ululatibus & bla-  
phemis hæreticorum, quibus ueritatem de hoc articulo patefactam diui-  
nitus Diabolus, ut per organa sua, oppugnare aut labefactare omnib⁹ tem-  
poribus conatus est. Assumpſit enim filius Dei naturam humanam in uer-  
bo virginis Mariæ, integrum, corpus & animam, sine peccato quidem,  
sed habentem proprietates naturales omnes, anima & corporis, omnes  
dimensiones, uires, appetitiones, sensibiles qualitates, deniq; actiones o-  
mnes naturæ humanae proprias, & præterea eas quoq; infirmitates, qua-  
sunt poenæ, non peccata, uidelicet, naturam humanam pſſibilem & mor-  
alem, sentientem dolores, & alios affectus sed ordinatos.

Hanc igitur naturam humanam assumpſit non solum inseparabiliter,  
sed ita, ut λόγος, qui est essentialiter Deus, assumens humanam natu-  
ram,

ram, ex natura assumpta sint unum in Christo, seu una persona. Habit at enim in Christo nato ex virgine, omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, non secundum spiritus sancti gratiam, sed secundum unionem hypostaticam. Nec sunt in eum effusa tunc dona diuina, ut in alios sanctos, nec habet tantum, ut apud Athanasium Apollinarij sectator argumentatur, corpus diuinis actionibus illustratum, sed haec Persona, quae est essentialiter Deus homo et patri, propriam sibi facit humanam naturam, et quidem per Econoniam seu dispensationem Unionis.

Etsi autem persona una est, duabus naturis inseparabiliter unitis, secundum hypostasin, tamen naturae unitae essentiali non modo substantiae sed etiam proprietatum differentiam retinent, citra confusionem aut commixtionem. Manet enim perpetuum discrimen in uua eademque persona Christi, inter creatorem et creaturam, inter infinitam naturam et finitam, inter invisibilem atque incircumspectam, et visibilem ac circumspectam: Manent et ceterae proprietates naturae utriusque, et uoluntates et actiones in Christo distincte, neque tamen hec naturarum, proprietatum, uoluntatum et actionum distinctio, dirimit aut diuelliit Unionem.

Nec uero glorificatio post resurrectionem, aut post ascensionem in celum aboleuit humanam naturam, et si mortalis, et ies obnoxia esse infirmatibus desit, que aderant ante, et accessit prerogativa donorum, laetis, sapientiae, potentiae, et glorie incomprehensibilis, longe antecellens omnium creaturarum dona. Ipse enim Christus euidenter ac diserte discipulos, ad ueri sui corporis demonstrationem, uidendum ac contrectandum se ficit, et a corporea natura spiritualem separat, que carnem et ossa non habet, et idem confirmat angelus. Ideoque illam ipsam naturam humanam semel assumptam, nunquam a filio Dei depositam esse credit Ecclesia, eandemque a mortuis resuscitatam, confitetur euctam esse in celum insibiliter, ubi Christus caput electorum iam est ad dexteram Dei, hoc est, ubi exaltatus in regno et sacerdotio tenet omnipotentem gubernationem cum eterno patre, sic ut maneat rex et sacerdos in carne assumpta et glorificata, et assidue intercedat pro nobis, colligat, regat, seruet, proteget Ecclesiam in genere humano, et in altera uita monstruet beatis patrem in clara luce immediate, ad quam post uniuersale iudicium adducet electos omnes, corporibus suis conformes ipsius gloriose corpori, ut fruantur cum ipso corpore et consuetudine Dei, in luce et letitia eterna. Quod

na. Que consolatio summa in hac erumosa vita, & spei nostrae terminus et ultima quasi meta est ad quam tendimus.

Hoc modo, cum non solum puerili illa manuductione usus, de infinita dissimilitudine & etiam ueritate, naturae diuinae & humanae cogito, sed cum modum quoque copulationis utriusque naturae in unam personam, absque confusione et separatione naturarum, & absque omni abolitione vel substitutione vel proprietatum humanae naturae, sicut orthodoxa Ecclesia omnium temporum, secundum normam scripturae sacrae, credidit ac professa est, attente mecum considero, tamen opus tam arcana perspicere non possum, admiratione tamen accendi animum meum sentio, ut cum David sepe exclamat: Quid est homo, quod memor es eius, aut filius hominis quod uisitas eum?

Omitto cetera argumenta, que magnitudinem huius mirandi operis diuini ostendunt. Hæc uero que recitauit hactenus, partim ex pusillitate, aut potius, ut sic loquar, nullitatis humanae naturae, si cum immensa maiestate diuina conseratur, consideratione, partim ex modo ipso assumptionis humanae naturae, quam seruitis ciuisque naturae proprietatibus, personaliter sibi atque inseparabiliter uniuersus filius Dei, desumpta, id est commemorauit, ut meipsum hac qualicunq[ue] χριστογόνα magis magisq[ue] ad suspirandum tantum mysterium exuscitarem, & alijs quos Deus excellenteribus ingenij & doctrinae dotibus instruxit, occasionem preberem, iuxta normam uerbi diuini attentius cogitandi de amplitudine et admirabilitate operis istius, de quo Apostolus scribit: Επολογουμένως μέγα μυστήριον διατετέλειας, δοξοδοκώδην γενεσίον.

Cum autem de ipsa unione hypostatica duarum in Christo naturalium, & de causis tam mirandi foederis notam atque uisitatem Ecclesie orthodoxæ doctrinam repetuerim in ea Oratione, quam in festo Natalitiorum Christi in Academia Marpurgensi nuper recitauit, ut laudatissimi instituti εξαρχούss esse, quo una mecum facultas Theologica & senatus huius inclite Academie uoluit, ut post hac in solennibus festis Orationes scholasticæ habeantur, congruentes cum ea parte doctrinae, que in Ecclesiæ & templis sonat: non ad alios potius Patronos, quam ad uestras inclitas Celsitudines, illustrissimi Principes, haec meas απεργούσσε, seu primutias mutare, ac uestris Celsitudinibus consecrare uolui, non solum ut extaret reverentia

grate voluntatis, pro beneficijs illustrissime munificentie uestrae, plurimis & maximis, quibus officior subinde à Celsitudinibus uestris, & reuerentiae atq; obseruantie meæ inclit. Celsitud. V. publicum testimonium, sed ut illustriss: uestrarum Celsi, atq; authoritatis uestræ patrocinio hac qualisq; nostra Oratio commendaretur atq; fueretur cùm confet Inclitas Vest. Celsi pro excellenti uestra pietate & sapientia recte intelligere fundamentum doctrinæ de incarnatione filij Dei, quo nütitur uniuersa salus nostra: & laudatissimæ memorie incliti Parentis Vestri, Principis Herois fortissimi, D. D. Philippi Landgravi Hæsicæ, Domini mei Clementissimi cuius memoria sit in benedictione, quem honoris causa nomino iam exemplo, operam dedisse hactenus scrio, ut puritas doctrinae de hoc tanto mysterio sine fermento humanarum opinionum ac traditionum in uestra schola & Ecclesiis retineretur: Quæ cum sit Ecclesia Catholicae atq; orthodoxe omnium temporum fides & confessio, tam religiosa fide, inter tot hæreticorum certamina & tam sancte iniunctiones quoq; operam daturas esse, ut pure ac uncontaminata ad posteritatem conservata & propagata, non dubium est, illustriss. Vestras Celsi deinceps quoq; operam daturas esse, ut pure ac uncontaminata ad posteritatem conservetur, & transmittatur. Ideò etiam libentius hanc Orationem ad illustriss: Celsi. Vestras misi, quod cùm in Ecclesia uestatum sit ordiri annum nouum, ab eo tempore, quo yvēðla filij Dei celebrantur, ipsa dedicatio opportunitatem non ingratam mihi offerri uisa est, repetendi ea uota ac preces, quibus inclitis Vestris Celsitudinibus, cùm banc Orationem recitarem, uniuersus ceteros auditorum nostrorum, felicia auspicia, amissione, una mecum precatus est.

Refert Tertullianus graulis scriptor, Christianos olim pro Imp. licet Ethnicis, uota ad Deum fecisse in publicis congressibus. Nos, inquit, pro salute Imperatorum Deum iuuocamus æternum, Deum uestrum, & Deum iuuum, quem & ipsi Imperatores propitiū sibi præter ceteros malunt. Precamur etiam omnibus Imperatoribus, uitam prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidem, populum probum, orbem quietum.

Hæc uota cùm multò magis pro pio & Christiano Magistratu facienda sint, Evidem & Vestris illustrissimis Celsitudinibus, sub initium huius anni eadem toto pectore precor & opto, & in assiduis ac quotidianis meis precibus à Deo petere nunquam desinam.

Vestrarum autem illustrissimae Celsitudines, reverenter et cum debita obseruantia oro, ut & Orationem ipsum perlegere, & defensionem atque patrocinium uerae doctrine, quem admodum summa cum approbatione piorum omnium hactenus facere soliti estis, deinceps quoq; preflare, & hanc meam compellationem ex animo illustriss: Vestrarum Celsitudinum studiofissimo profectam in optimam partem accipere, ac me una cum suis diis meis V. Celsitud. unicè deditum, clementissimæ protectionis ac promotionis fauore ac curæ paternæ commendatum habere dignemini. Bene & feliciter nalete, Incliti & Illustriss: Principes, Domini Clementissimi, una cum illustrissimis coniugibus ac liberis Dominis & Dominabus, Clementiss: mihi omni subiectissimi studij obseruantia colendis, Consiliarijss: Vestrarum Celsitud. addictissimis, Deo proprio etiam atq; etiam meis preciis commendati, Perscriptum Marpurgi in serijs natalijs Christi, inchoantibus annum postremi temporis 1578. Qui annus ut sit faustus, felix, secundus, tranquillus, & salutaris, Ecclesiæ Reip. & Oeconomis, eò magis atq; ardentius precari pios omnes decet, quò maiora pericula orbi uniuerso impendere tam terribilia ostenta possunt portendunt.



HIERONIMVS SCHLICK GRAFF  
ZV PASSANN H Z WEISSE KIRCHEN



# Strenui, Nobiles, antiquitate & SPLENDORE NATALIVM IN- SIGNES, VIRTUTE SAPIENTIA, ERUDI- TIONE, DIGNITATE, GRANITATE, ET AUTORITATE EXIMIS & EXCELLENTEIS, DOMINE PROPRINCIPES, DOMINE PRESSES SUMMI DICASTERIJ, DOMINI CONSILIARIJ, DO- MINE PROCANCELLARIE SCHOLE HUIUS PUBLICÆ, DOMINE UICE RECTOR, REU- RENDI, SPECTABILES, CLARISSIMI & DOCTISSIMI DOMINI DECANI, DOCTORES, PRO- FESSORES ATQ; MAGISTRI: PATRONI, PRÆCEPTORES ET AMICI OBSERVANDI ET CA- RISIMI: NOSQ; IUNENES ET ADOLESCENTES NOBILES ET INGENUI, PIETATE MODESTIA, INDUSTRIA: ET DISCENDI ASSIDUITATE, NOBIS UNICÉ COMMENDATI, &c.

Motu cœle-  
stes ad desig-  
nandam et di-  
stinguendam se-  
riem temporū  
ordinati.

Patefactiones  
diuine dissim-  
iles tempori-  
bus factæ.  
Certa festa à  
Deo in ueteri  
testamento in-  
stituta sunt.



On solem Coelestium corporum mo-  
tus ita conditi sunt, ut seruant distin-  
ctioni temporum: Sed etiam patefa-  
ctionum diuinatum series sic distribu-  
ta est, ut res omnium maximæ, quæ in  
Ecclesia gestæ sunt, ad certa temporū  
interualla congruant, Volut autem & Deus ipse, me-  
moriā operum suorū tali potissimum ratione in Ec-  
clesia conseruari ac propagari, ut certos ac solennes  
dies festivitatum publicarum expressa lege sanxerit,  
quibus in cœtu populi conuocati ad locum tabernacu-  
li seu templi, recordatio ac celebratio fieret publica be-  
neficiorum Dei, quæ patrum memoria in gentē Israë-  
liticam, quam ceu peculium ex omnibus orbis incolis  
sibi

sibi delegerat, collata essent. Sic enim Paschatis, sic Pentecostes, sic tabernaculorum festum mandato diuino institutum inter Iudeos atq; sanctum fuit, ut beneficium mirandæ liberationis ex Ægypto, datae legis & constituta politiæ Mosaicæ: deniq; & nutritionis ac defensionis in deserto, & introductionis in terram Canaan quotannis laetitia ac festiuitate publica celebra-  
retur.

Hunc morem imitata Ecclesia noui testamenti, præ Certosferiarū cipias partes historiæ de Christo in certa temporum dies in novo interiualla sic distribuit, ut statim ac solennibus festis, testamento cōstituit primitua Ecclesia. congruentibus ad tempora singulorum factorum, memoriam celebret nativitatis, passionis, mortis, resurrectionis, ascensionis Christi in coelum, & manifestæ effusionis Spiritus sancti, quæ testimonium fuit visibile atq; adeo initium noui regni Christi, propagandi ministerio Euangeliū in totum orbem terrarum.

Etsi autem prophani aliqui derident hanc Ecclesiæ Remota super consuetudinem, qua certis quasi momentis temporum, fictione nō esse ordo festorum distinguitur, & arguti disputant, Chri- remciāndū or dinem ex di- stributionem festorum.  
stianos non esse alligatos ad dierum certorum obser- uationem, & Sabbatum in nouo testamento perpe- tuum agendum esse: Tamen certo statuamus utilem hanc Pædagogiam esse, non solum ætati puerili, sed etiam adultis ac senibus, si remota superstitione seruen- tur hi ritus, quibus maximarum rerum memoria festis publicis veluti insignitur ac sensibus ipsis subiicitur, ijs nimirum temporibus, quibus illæ propter salutem vniuersi generis humani olim fuerunt exhibita.

Sunt enim festa eiusmodi, ceu Calendaria, seu fa-

**triplex usus** sutorum instat, quibus monemur, quo tempore singula  
festorum in ec acciderint, quæ historia Euangelica de Christo Ema-  
nuele & seruatore nostro unico commemorat. Dein-

de ceu tessaræ quædam militares, & Insignia Christia-  
norum sunt, quibus non voce solum, sed gestu etiam  
ipso foris edunt singuli confessionem suam de perse-  
na, & beneficijs Christi, & hac se se ab omnibus sectis,  
alienis à societate veræ Ecclesiæ sciungunt ac separant.  
Postremò ut tubæ clangore suo milites in castris com-  
morantes officij sui admonent, sic festorum solenni-  
tates animos piorum exuscitant ad gratiarum actionem  
erga Deum, eiusdemq; inuocationem: Quam non du-  
biū est ardentiorem fieri tunc, cùm & temporis ra-  
tio, & festiuitatum solennis celebratio, beneficia diui-  
na, tūm externis seuisbus, tūm etiam mentibus ipsis for-  
tius atq; altius impriment.

Propter has igitur & similes causas, cùm haud du-  
biè pium ac vtile sit, conservare in Ecclesia ordinem  
festorum, graui autoritate à maioribus nostris fandi-

**Laudabilis cō** tum ac traditum: Iure ac merito in multis Academij  
**suetudo** ut in rectè constitutis, vsu moribusq; receptum esse iudico,  
diele festis e- vt cùm scholæ præcipua pars sint Ecclesiæ Dei, in stu-  
tiam in scho- gulis festis Orationes scholasticae habeantur, quaer cum  
lis publicis ha- doctrina & confessione publica Ecclesiæ, scholarum  
beantur ora- quoq; vocem congruere testentur. Hanc ve-

**Causa propter** quoq; in hanc Acade-  
quæ recitetur miam inclytam introducendam esse putauit & decre-  
a me hec or- uit vñā meū facultas Theologica & totus senatus Aca-  
ratio. demicus ut posthac in solennibus festorum congressi-  
bus ab uno ex Theologis recitetur oratio, complectens  
partem

partem aliquam doctrina quæ in festis singulis in eccllesia proponitur. Non grauitatim in me hoc onus recepi, ut initium huius honestissimi moris ficerem, tūm, quia Deo iuuante, totum me Theologiae studijs tradere, & quasi, consecrare, & vita voce aliquando in ecclesia docere, & veritatis coelestis propagationem adiuuare sedulo per omnem vitam meam constitui: tum, ut in hac mei munera, quo nunc publicè fungor, administratione, alios quoq; ad amanda & colenda hæc pia exercitia, meo exemplo inuitarem atq; allicerem.

Quanquam enim ingenij mei tenuitatem, vere ac non simulatè agnosco, & quod hoc amplissimo confessu dignum sit, haud facile in medium me proferre posse intelligo: tamen, cum in magnis rebus etiam voluisse satis sit, & de rebus bonis, omnis honesta sit oratio: non dubitaui vos, pro pietate & candore vestro, eadem benignitate nunc quoq; qualicunq; Oratione me illa exponentem, quæ à præceptoribus meis, de admirando incarnationis filij Dei mysterio, in ijs, vbi versatus sum antea, scholis didici, & quæ in hac etiam inclita schola hactenus semper proposita fuere, audituros esse, qua nuper de fontibus legum ex Decalogo balbienti ore differentem, benignè patienterq; audire dignati estis.

Initio autem, quod & instituti, & temporis huius ratio, & pietas postulat, æternum patrem Domini ac liberatoris nostri Iesu Christi toto pectore precor, vt & instituto huic nostro clementer benedicat, & quem nunc inchoamus Annum à natali Christi millesimum, quingen-

Precatio ad  
Deum profesi-  
lici ac fausto  
cursu anni.

quingentesimum, septuagesimum octavum, vniuersitatem Ecclesiae & reipublice Christianae, & huic scholae nostrae faustum, & felicem, & salutarem esse velit.

Cumque subditorum salus nitatur praecipue incolumentate gubernatorum, in primis Deum oro, ut Illustriss: Principibus ac Dominis Dominis, Domino Gulielmo & Domino Ludouico fratribus, Landgrauis Hassiae, Dominis nostris Clementiss: qui sunt benignissimi patres patriæ, & huius scholæ nutricij beneficentissimi, Deinde Dominis Consiliariis omnibus Dominis Professoribus, Doctoribus, Magistris, Nobilibus & Studiosis, auspicium noui anni prosperum concedat, & vitam, valetudinem, gubernationem conditionem ac fortunam, longæuam, integrum, tranquillam ac florem largiatur.

Post haec pia vota, ad quæ non dubito vos quoque preces vestras intimis gemitibus adiungere, ad ea deinceps accedam, quæ praecipue in hac Oratione proposita mihi esse debere intelligo: Quæ ut sine fastidio & morositate audiatis, reuerenter à vobis vniuersis & singulis peto.

*Propositio seu  
status Oratio =  
nis.*

Nam ex varietate rerum immensa, quas doctrina huius festi complectitur, de durabus saltē partibus articuli omnium maximū de incarnatione Domini ac liberatoris nostri Iesu Christi, quem hoc tempore Ecclesia meditandum nobis proponit, dicere instituam: Primum quidem, De ipsa vniione hypostatica, seu de arcana illa & personali atque inseparabili copulatione durarum naturarum in Christo: Deinde de catus, cui filius Dei massam naturæ nostræ tam mirando & inscrutando

perseverabilis fœdere sibi coniunxerit. Nec vero de <sup>Prima pars</sup> duabus in Christo naturis, & earum admiranda copu- orationis de latione, quicquam dici potest grauitis, aut neruosis, <sup>duabus natu-</sup> quam quod Iohannes Euangelista & Apostolus pau- <sup>ris earumq;</sup> eis quidem verbis, sed diuina & inexhausta sapientia, <sup>unione.</sup>

& maiestate orationis ineffabili de hoc mysterio dixit,

inquiens: Verbum caro factum est. Horū verborum Declaratio di-  
maiastate nullius hominis sapientia aut eloquentia <sup>cti Ioānis ver-</sup>  
assequi, & enarrare pro dignitate potest: sed multo <sup>bum caro factum est.</sup>

magis res ipsae, quæ in hoc breui aphorismo continen-  
tur, omnem cogitationem & eloquentiam superant,  
quas in hac quidem vita suspicere ac venerari nos ma-  
gis, quam curiose perscrutari decet. Verum initia ra-  
men sapientiae huius vñcyp pia meditatione cogitan-  
da, & pondera singularum vocum diligenter expen-  
denda sunt, cum verissimum sit, quod de hoc ipso my-  
sterio Nazianzenus scripsit: admiratione huius foede-  
ris accendi pectora, etiam si penitus perspici' opus tam  
arcanum non possit.

Primum igitur de naturis singulis in Christo cogi-  
temus, quas appellatione τὸ λόγος seu Verbi, & Carnis  
describere voluit Apostolus. Significat autem citra vñ-  
lam dubitationem τὸ λόγος seu Verbum personam filij Quid Ioāna-  
Dei, quæ verè & ab aeterno ἐφισχυετο est distinctum telligat voce.  
a patre, & tamen δημονίον patri. Id evidenter de-  
monstrat concio proposita in exordio Euangeliū Io-  
hannis, in quo magna voce assuerat Apostolus: In  
principio erat Verbum, & verbum erat apud Deum,  
& Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum.  
Deinde cùm mirada eius operā recenseret, vt quod mun-

C dus

dus per λόγον factus est, quod humano generi post la-  
psum vita & lux per eum restituta est, quod omnibus  
temporibus in mundo, in primisq; in Ecclesia præsen-  
tiae suæ testimonia edidit.

Haec cum ante incarnationem de λόγῳ affirmet A-  
postolus necesse est λόγον intelligi non de cogitatione  
seu decreto in mente patris, aut de voce transeunte, seu  
promulgatione editæ promissionis, vt astuti quidam &  
impīj olim contenderunt Samosatenus & Photinus, &  
*Hereses que* *oppugnarunt* *diuina munera Christi.* recens Seruetus, sed de λόγῳ subsistente, seu ἵψασθαι,  
cui cum omnes proprietates veri Dei, & quidem ex-  
pressa Dei appellatio, attribuantur, necesse est falsum  
& impium esse dogma Ariji, qui negabat λόγον esse  
personam æternā, quæ sit verè ac natura Deus: Cumq;  
hic ipse λόγος in eadem narratione Iohannis, aliquo-  
ties tūm filius patris, tūm vnigenitus nominetur, ne-  
cessē est hanc personam à patre distinctam esse; con-  
tra Sabellij imaginationes, qui confundebat personas  
diuinitatis inter se, vel potius unam eandemq; perso-  
nam tribus appellationibus seu nominibus distinctam  
fingebat.

*Cause, quare* Voluit autem hoc potius nomine, quam alijs appel-  
filius Dei λόγο- lationibus de Filio Dei, tūm in toto exordio Euange-  
rī appella lij sui, tūm etiam in hoc aphorismo, quo incarnatio-  
nem filij describit, vt Euangelista: Quia hoc ipsum no-  
men τῷ λόγῳ antiquissimum est in scriptura, & ex pri-  
ma ac vetustissima Mosis narratione sumpturn: Dein  
de, quia vniuersa penē historia filij Dei hac voce com-  
prehenditur, videlicet, & æterna ipsius generatio ex-  
sistētia Patris, & opera eius precipua, quibus in Ec-  
clesia

clesia se inde usq; ab initio patesecit, & quibus postea  
etiam efficax est in assumpta natura, deniq; quibus in  
tota æternitate sese electis communicabit.

Est enim filius Dei integra & substantialis imago  
Patris genita à patre se intuente ac cogitante, sicut in  
nobis mens gignit λόγος, qui est imago rei cogitatae:  
Et per hanc imaginem suam substancialem, viuam, &  
qualem per omnia, & θυμούσιον, æternus pater dicit  
decreatum & totum ordinem creationis rerū omnium,  
& reparationis generis humani, deniq; omnia opera  
sua in creaturarum conseruatione, & Ecclesiae colle-  
ctione, ac saluatione, per hoc verbum ϕωνέατος seu  
λόγου αὐτοῦ administrat.

V igitur, quod ad essentiam attinet, ideo filius ver- Descriptio &  
uniuersa pene  
historia filij  
bum seu λόγος nominatur, quia imago est æterni pa-  
tris non euanescens, sed θυμούσιος patri, οὐ φisculis, Dei uoce λό-  
& ut in Symbolo dicitur, lumen de lumine, in qua ima- γε & compre-  
henditur.  
gine integrè lucet tota essentia patris: Sic si ad opera eius respiciamus, merito hoc nomen filio competit,  
quod nō solùm initio efficax fuit ad res producendas  
ex nihilo, & viuificandas: sed etiam postea substantias  
rerum conditarum sustentat atq; conseruat: Et quod  
post tristem lapsum generis humani arcanum illud  
decreatum de reconciliatione cum Deo, & restitutione  
iustitiae ac vitæ æternæ, impetratum intercessione ac  
deprecatione sua, in qua sponte se obligauit ad si. beun-  
das pro genere humano ac persoluendas pænas, ex si-  
nu æterni patris protulit, & per hoc verè lœtum nun-  
ciatum efficax fuit in animis primorum hominum, quos  
eripuit ex pauroibus, & ex sensu mortis æternæ, & le-

titiām ac vitam eis restituit. Sæpè etiam postea alloētus est Patres ac Prophetas, subinde repetens & illustrans promissionem in Paradiso traditam, de salvando genere humano, & de modo saluationis, ac tandem natus ex virgine, alloquitur ipse suum populum, explicat legem, exponit clarissimæ promissiones, instituit publicum ministerium verbi, missis in vniuersum orbem terrarum ad omnes creaturest Apostolis.

In hac ipsa conuersatione inter homines, non tantum docendo, sed eo etiam declarat se recte ac conuenienter dici λόγος, quod virtutes suas præcipuas efficit dicendo, iubendo, vocando: ut cum verbo a se repellet Diabolos, cum verbo leprosos mundat, agrotos sanat, mortuos resuscitat, cum efficaciter verba vitae ad suos loquitur, quæ sunt, ut ipse dicit, spiritus & vita, vel ut Petrus inquit, semen incorruptibile, & verbum Dei viuens.

Idem λόγος ita se inuoluit, & quasi vestiuit verbo, ut extra id, nec inueniri, nec efficax esse velit. Itaque regnum & efficacia ipsius potissimum viget in verbo, cuius ministerium ut ipse primus instituit, Ita omnibus temporibus in Ecclesia tuetur & conseruat. Per hoc non modò foris nos alloquitur, sed intus etiam in animis credentium dicit consolationem, ostendit patrem, & effundit spiritum sanctum, qui regenerat, illuminat, vivificat, & sanctificat corda.

Nec vero Ecclesiam solum ipse alloquitur, sed vicissim Ecclesiae Orator est ad patrem: Quia ut initio post lapsum, deprecatus est pro genere humano: Ita adhuc perpetuus est paracletus, orans seu interpellans

pro

pro nobis apud patrem, & intercessione sua singulis electis meritum suum applicans.

Quid? quod in fine mundi hic ipse λόγος, efficaci voce sua, & potentia diuina mortuos in vitam è sepulcris reuocabit, & conuocato toto genere humano, ad iudicium, voce sua pronuntiabit sententiam de electis & condemnatis, & Ecclesiam electorum adducet ad patrem æternum: Et tunc erit verè λόγος, coram multis nobis patrem, exponens consilium mirandum, & ordinem, & causas vniuersæ creationis, gubernationis rerum, redemptionis, & salvationis: & immediate nos perfundens sua luce, iustitia, & vita, ut tota natura nostra instaurata, perfectè ac integrè nos quocq[ue] agnoscamus, prædicemus, & celebremus Deum in omni æternitate.

Hæc omnia, quæ vniuersam penè historiam filij Dei cōplectuntur, hac vniica appellatione τῷ λόγῳ montere Iohannes voluit: Quæ quidem in omni inuocatione necesse est sæpè cogitari, vt consideremus, quo respectu discernatur persona filij à patre, & quæ sint opera ac beneficia filij Dei: Quibus ad veram animorum consolationem nihil dulcius cogitari potest.

Quod autem ad Carnis appellationem attinet, qua Quid Iohann. in hoc ipso, quem diximus, aphorismo Apostolus usus uoce carnis est, sine omni dubitatione statuamus Carnem intelligendam esse de natura humana integra, habente corpus & animam rationalem, & omnes vires ac appetitiones naturæ humanæ proprias, vna cum infirmitatibus omnibus, quæ non sunt peccata, sed peñæ. Idem enim hoc in loco carnicem Apostolus nominauit, quod

In promissionibus de Messia significatur appellatione  
seminis mulieris, seminis Abrahæ, radicis Iessæ, filij &  
germinis Dauidis, fructus ventris & lumborum eius,  
Quæ voces omnes naturam hominis integrum descri-  
bunt, ut recte Theodoretus dixit.

Quare Iohann.  
libentius uta-  
tur vocabulo  
carnis quam  
hominis.

Sed carnis potius, quam hominis vocabulo usus est  
Apostolus, Quia euidentius hac voce exprimitur veri-  
tas naturæ humanæ, ne quis corpus imaginarium putet  
a verbo susceptum esse, vnde & in Epistola ad Hebreos  
dicitur, Christum factum esse participem carnis & san-  
guinis. Et Christus inquit, Spiritus carnei & ossa non  
habet, sicut me videtis habere.

Præterea & imbecillitas ac mortalitas naturæ hu-  
manæ, quā totam excepto peccato Christus in se tran-  
stulit, magna emphasi significat hoc vocabulo: Quia  
visitatum est prophetis, carnis appellatione uti, quoties  
ingentie in fragilitatem naturæ humanæ describunt, ut  
cum apud Esaiam dicitur: Omnis caro fænum, & o-  
mnis gloria eius tanquam flos agri.

Heresis que  
oppugnarunt  
ueram huma-  
nitatem Christi.

Pellatur igitur e medio Basilidis, Marcionis, Va-  
lentini, & Manichæorum furor, qui aut aëreum quod-  
dam corpus, aut essentiam coelestis cuiusdam carnis  
Christo tribuerunt: aut Christum ~~sororiam~~ ~~phantasmum~~  
hominem apparuisse commenti sunt, re ipsa singentes  
humanam naturam in Christo spectrum aut Phanta-  
sma, seu laruum hominis, aut fallacem quandam spe-  
ciem, oculos intuentium ludificantem fuisse: Quos re-  
futans Ignatius martyr grauissime dixit: si opinione  
tantum, aut phantasiam Christus homo factus est, inane  
spectrum est totum opus redēptionis humanæ.

Reij-

Rejiciatur etiam Apollinaris delirium, quem Di-  
meritae secuti sunt, qui falso dixit, Loco animae rationa-  
lis fuisse in Christo diuinitatem: Ideoque corpus & ani-  
mam sensitivam ei tantum tribuit. Quem errorem re-  
futans Damascenus præclarè dixit: Deus verbum, qui  
nos ab initio finxit, nihil eorum, quæ naturæ nostræ  
implantauit, reliquit, sed omne assumpsit, corpus & a-  
nimam intelligentem, & harum proprietates. Nam  
homo sine his partibus constare non potest. Totus ve-  
rò totum me assumpsit, & totus toti viritus est, ut toti  
salutem largiretur. Quod enim non assumptum est,  
quomodo curari potuisset?

Iam vero cùm de λόγῳ affirmat Iohannes, quod ca-  
ro Factus sit, præcipua quadam diligentia considere-  
mus, hoc ipso verbo τοῦ νεροῦ modum copulationis dua-  
rum naturarum in Christo describi. Id autem semper  
ex Paulo Apostolo declarauit pia & orthodoxa anti-  
quitas, per vocem Assumendi.

Quid Iohannes  
uelit per uocē  
Factum est.

Eamque ex duobus illis Apostoli Pauli dictis mutuata <sup>vnde orthom</sup>  
est, quorum prius ad Hebreos secundo capite legitur: doxa uetus factus  
Non angelos sed Abrahæ semen Assumpsit. Alterum <sup>sumpserit uer</sup>  
<sup>bū Assun. endē</sup> ad Philipp. 2. extat: In quo de æterno Dei filio dicitur,  
Quod cùm in forma Dei esset, id est vera prædictus na-  
tura diuina, & patri <sup>uocō/so/</sup>, non rapuerit æqualita-  
tem Dei, hoc est, non voluerit uti tempore missionis  
sua omnipotētia diuina: sed exinanierit semetipsum,  
id est, quieuerit ad tempus, & quasi occultauerit glo-  
riam æternæ Deitatis suæ: Forma serui Assumpta, id  
est, natura humana & omnibus proprietatibus huma-  
næ naturæ, In qua ut seruus carens defensione, omniū  
iniurias

in iure & contumelij suis obnoxius factus in similitudine hominum, id est, similis factus alijs hominibus, passibilis, & mortalis, sed sine peccato, & habitu inuentus ut homo, id est, sensibus & affectibus, fame, siti, gaudio, tristitia, misericordia, lachrymis, ira, indignatione, ut in hac ingenti & ineffabili humiliatione obediret patri usq; ad mortem, mortem autem crucis,

*Conciliatio di  
etorum Ioan.  
1. et ad Phil. 2.* Hic pie ac sapienter animaduertit orthodoxa vetustas, idem ytrobiq; significari, cum Iohannes inquit: Verbum caro factum est: & cum Paulus ait: Qui in forma Dei erat, assumpsit serui formam.

Recte enim formam Dei interpretata est antiquitas de essentia & potentia divina. Formam vero serui, de natura humana, habente oes vires & appetitiones naturae proprias, & ordinatas, intellexit, sicut vel ex hoc uno Athanasij dicto constat: Forma serui est tota humanitas, sicut forma Dei est tota divinitas. Quod vero obscurius dici videbatur a Lohanne per verbum ενεστο, id aliquanto clarius exprimi a Paulo Apostolo iudicavit, vocabulo assumendi. Atq; hac quidem voce de mysterio incarnationis, frequentissime vsa est antiquitas, cum magnam diligentiam ac circumspectionem in diligendis phrasibus ac formis loquendi, propter haereticorum certamina adhibere cogeretur. Sæpe autem & vniuersali vocabulo vsa est vetustas, ut ex antiquissimo in Ecclesia scriptore Irenæo appareat & Iustino Martyre.

*Hæreses que  
oppugnarunt  
uerandostris-  
nam de incar-  
natione filij  
Dei.* Prudenter enim haereticorum insidiæ cauendæ fuerunt, quorum aliqui sic intellexerunt vocem ενεστο, vt dicerent, verbum antea non fuisse υφισάμπλωп, sed tunc primum coepisse, cum formaretur caro in utero Marie

Mariæ virginis, vt olim Samosatenus & Photinus, &  
nunc Antitrinitarij horribili furore contendunt.

Alij vero diuinam naturam ~~in~~ <sup>anno</sup> 2878 in incarnatione  
desisse, & in naturam humanam mutatam & con-  
uersam esse finxerunt, propemodum vt dicimus aquam  
factam esse vinum in nuptijs Canæ, id est, substantiam  
aque in substantiam vini mutatam esse, quemadmo-  
dum Arrianos nonnullos sensisse constat.

Quidam vero & humanam naturam annihilatam  
& à diuina absorptam esse finxerunt, vt cùm paucis a-  
quæ guttulis in ignem effusis absorbetur aqua à flam-  
ma, & consumitur: Quod Eutychis fuisse dogma ap-  
paret, cuius sectatores Monotheletæ fuerunt, qui, vt er-  
rorem magistergerent, essentiam quidem ipsam carnis  
non mutatam esse dixerunt, sed carnem tamen omni-  
bus in se Deitatis proprietatibus receptis, exornatam  
fuisse comminiscentes, atq; idiomatum, voluntatum, &  
actionum vtriusq; naturæ confusionem fingentes, pr-  
sus, vt nunc Schvuenckfeldiani faciunt, frustra de veri-  
tate vtriusq; naturæ in Christo gloriati sunt.

Nonnulli etiam somniarunt, ( vt ex decretis veteris Ecclesiae contra Eutychianos, quorum varia genera & sectæ fuerunt, videre licet, ) ex commixtione  
duarum naturarum aliam quandam tertiam extitisse  
naturam, vt cùm in Physicis ex mixtione diuersarum,  
specierum, nostrum aliquod corpus compositum ena-  
scitur: Aut certè, vt in Petro, aut alio quoquis homi-  
ne, anima & corpus sic concurrunt, vt compositum ta-  
le emergat, quod nec anima, nec corpus est, sed tertia  
quædam *substantia*, quæ nouam subsistendi rationem, atq;

D adeo

ad eo vnicam hominis tanquam totius seu cōpositi appellationem habet: sic personā Christi imaginati sunt ex duabus naturis compositam esse, vt per se filius Dei non sit persona, necp persona manserit, sed perfectiō nem demūn ex natura humana tanquam parte cōpositi acceperit.

Deniq̄ non desuerunt, qui, vt Nestorius, & huius similes, τὸν λόγον dixerunt, tantum per auxilium seu assistancem carnī seu homini, veluti comitem separabilem adiunctum fuisse: aut certe, quemadmodum vir & uxor vna caro fieri dicuntur, aut sicut sancti dicuntur templa, & domicilia & organa Dei esse.

Quomodo orthodoxa ue-  
tustat aduer-  
sus hereticos.  
uerba loam.  
declara.

Aduersus has falsas & impias imaginationes vnanimi consensu Ecclesia orthodoxa omnium temporum prudenter verbum ἐγένετο declarauit, per duas illas voces assumendi, & vniendi, vt ostenderet neque compisse primum τὸν λόγον in incarnatione, necp in carnem cōuersum esse, necp ex λόγῳ & carne tale compositum extitisse, quod neutrius naturae appellationem retineat, necp carnem absorptam esse, aut ex aquatam τῷ λόγῳ, necp hospitium tantum τῷ λόγῳ præbuisse, vt in cœris sanctis λόγῳ inhabitat, & in eis est efficax: sed personam filij Dei, qua ab æterno integrū in φισαμένον fuit, sine ulla sui mutatione, id quod erat, permanuisse, & contra substantiæ, aut proprietatum carnis abolitionem, in suæ personæ vnitatem ita sibi adiunxisse seu copulasse naturam humanam integrum, vt ipsa quidem humanitas persona non sit, necp personæ filij Dei perfectiō nem aliquam attulerit, sed ab ipsa filij persona sustentetur, ab eaçcē deinceps dependeat.

Ato

Atq[ue] ideo & vniōnem hypostaticam seu persona-  
lem nominauit vetustas hanc mirandam durum na- Quid significat  
turarum in Christo copulationem eamq[ue] definit nec statica , seu  
transmutationem esse,nec confusionem naturarum,aut quid sit uni- cest unio Hypo  
proprietatum, aut actionum inter se: necq[ue] etiam se- personalis.  
parabilem aliquam coniunctionem, aut modum inha-  
bitationis, qualis est vel in genere in omnibus creatu-  
ris, vel in specie,in sanctis aut beatis hominibus vel an-  
gelis : sed copulationem ineffabilem , qua λόγος qui  
est secunda persona diuinitatis, massam certam ex ge-  
nere humano in utero virginis à Spiritu sancto sancti-  
ficatam assumit, & sibi copulat non solum inseparabi-  
liter, sed etiam secundum hypostasin, sic ut unum sit  
ac maneat ἵψεραλογος seu vna persona , filij Dei, seu  
verbi propria, quae humanam naturam assumptam ge-  
stet ac sustenter, in eaq[ue] tota luceat,vnaquaque tamen na-  
tura, τῷ λόγῳ & carnis, essentiam suam, & proprieta-  
tes,& voluntatem, & actiones proprias atq[ue] distinctas  
perpetuo retinente ac conseruante.

Hoc sanè modo necq[ue] duos Christos, neque duas in in doctrina de  
Christo personas, sicut duos filios, alterum Dei, alterum personali u-  
nione preci-  
Mariæ virginis agnoscit orthodoxa Ecclesia, sed vnam pue cauendum  
tantum personam, unum filium, unum Christum fate- est, ne cum Ne  
tur, qui verus Deus, & verus homo est, Deus ante sa- storio discerpā  
cula genitus ex substantia patris, nouissimus vero die- mus unitatem  
bus propter nostram salutem homo natus ex matris & cum Eu-  
substantia, perfectus in diuinitate, & idem perfectus in tyche confun-  
humanitate. Deinde cum esse entale discrimen sit na- damus diffē-  
turarum, & Christus secundum diuinitatem εμούσιος Q rentias natu-  
patri, & nobis per omnia similis excepto peccato, se- riarum et pro-  
prietatum,

condonit humanitatem sit ac maneat: nequaque in Christo confusionem ullam naturarum, aut transmutationem proprietatum agnoscit Ecclesia, sed confitetur unigenitum Dei filium in duabus naturis esse, non solùm inseparabiliter & indivisiè: sed etiam inconfusè & immutabiliter, nusquam sublata differentia naturarum propter unionem, sed salua potius manente virtus naturae proprietate.

*In una persona*: Iam ut naturas & hanc proprietates inconfuse ac inconuertibiliter distinctas, & tamen indivisiè ac inseparabiliter unitas in una eademque persona Christi veritate essentiarū, re ac constanter agnoscit Ecclesia: Sic fatetur & voluntates proprietatum, in Christo esse distinctas, & actiones suæ cuique naturæ voluntatum, & turæ congruentes, non quidem contrarias illas inter se, nec aduersas sibi inuicem, nec tanquam separatas in duabus personis, sed naturarum ratione differentes, ut quemadmodum naturas duas, ita & naturales in se voluntates & operationes, unus idemque Dominus noster Jesus Christus habeat, diuinam & humanam: Diuinam quidem voluntatem & operationem ex æterno cum coessentiali patre communem: Humanam vero temporaliter ex nobis, cum nostra natura suscepimus.

Quanquam enim in multis operibus, quæ ad officium Christi pertinent, id est, quæ vel ad opus redemptoris ac salvationis generis humani perficiendum spectant, vel testimonia sunt comprobantia officium missionem filij mediatoris, vt miracula, una est & eadem actio visibilis, seu vt vetustas locuta est, unum & totius vero seu spiritus dei in人身, sicut persona una est, quæ est Deus & homo: Tamen in his ipsis operibus, incarnatus

Incarnatus Deus & sic diuina & humana operatur,  
ut illa quidem huius, haec vero alterius naturae propria  
sint, agente nimis utramque natura cum communione  
alterius, quod unicuique proprium est, verbo operante  
quod verbi est, & carne exequente quod carnis est.

Haec de modo unionis durarum in Christo naturarum Probationes  
rum, & fuit, & est perpetua sententia, fides, & contrafundamenta  
fessio Ecclesiae catholicae & orthodoxae omnium temp[or]um doctrinae de  
porum: quam certum est congruere cum sententia d[icitu]r unionis person[al]i.  
Et Iohannis Apostoli, Verbum caro factum est.

Et hanc scimus a ceteris quoque Apostolis traditam,  
& ab horum discipulis ac auditoribus propagatam, &  
in Synodis Oecumenicis, Nicena, Ephesina, Chalcedonensi, & Constantinopolitana tertia, quae fuit Oe-  
cumenica sexta, euidentibus Symbolis ac decretis illu-  
strata, & grauissimis piorum Imperatorum edictis  
sancitam, & plurimorum martyrum sanguine obsigna-  
tam, & in Romana etiam Ecclesia, quanquam horribi-  
libus alioqui tenebris oppressa, sancte inviolateque con-  
seruatam: Denique inde usque ab initio repurgatae do-  
ctrinae in Ecclesiis Augustanae confessionis, eodem  
semper modo a prijs doctoribus expositam & declara-  
tam esse.

Ex hac vero immota & verissima doctrina de v-  
niōne hypostatica durarum naturarum in Christo ( que De phrasibus  
quomodo a ceteris modis presentiae Dei in creaturis receptis ab or-  
dinarum differat, & quibus ceu picturis ac similitudinibus vt cum thodoxa eccl[esi]a que, voca-  
que declaretur, nimis prolixum nunc esset commemo- tur communis  
rare. ) utilissimus ille, & maximē necessarius Canon, catio Idiomatis  
seu regula loquendi in Ecclesia extitit: quam regulatam  
loquendi

D 3

loquendi alij idiomatop̄ κοινωνία, alij δυτιδωτη, qui-  
dam ἀλογωτη, aliqui etiam, ut Nazianzenus & Theo-  
doretus εὐλεγεῖ ὀνομάτων coniunctionem nominum, &  
τοῦ ὀνομάτων κοινότητα, id est, communitatem vocum  
appellarunt: In qua certa lege ac modo, nimirum in  
Concreto, id est, vocabulo personam significante &  
utramq; naturam complectente, toti personæ, quæ v-  
trumq; est, Deus & homo, alterius naturæ propria tri-  
buuntur, non quidem titulo tenus, seu imaginariè, sed  
verè & realiter, ut personæ unitas contra Nestorium  
retineatur, & intelligatur λέγος & naturam assumptam  
esse unum ιψαύτον: Reiectis interim ac repudiatis  
formis loquendi, in quibus proprietas unius naturæ tri-  
buitur alteri in Abstracto, id est, vocabulo significante  
naturam secundum sese consideratam, cui neq; verbis  
neq; re ipsa Physicū idioma alterius naturæ, in sese seu  
secundum sese tribui potest, ne Eutychiana naturarum  
aut proprietatum confusio introducatur, sed in ipsa quoq;  
unione retineatur οὐσιῶν Διαφορα, ut Damascenus lo-  
quitur, id est essentialis naturarum differentia, quæ con-  
fusis atq; permixtis proprietatis neq; constare, neq;  
conspici amplius potest. Tolle enim proprietates, ut  
Reuerendus pater Dominus Doctor Lutherus dixit,  
& naturas ipsas sustulisti.

*Discrimen in-* Hæc idiomatop̄ κοινωνία, quam idem Dominus Do-  
ctor unionē per eum Lutherus, phrasin veterum secutus, permutationē  
sonale, & cō nominum appellavit, non est ipsa unio, vt multi impru-  
municationem denter hæc inter se miscent atq; confundunt, sed toto  
idiomatum. genere differt. Nam unio duarum naturarum, diuinum  
opus est, quo missò filio à tota diuinitate, soli ipsi unitur  
ac co-

ac copulatur foedere æterno, & inseparabili, & planè imperuestigabili, natura humana ex virginе assumpta, sic ut vnaquacq; natura retinente physica sua idiomata inconfusè & inconuertibiliter, hæ ipsæ tamen naturæ inseparabiliter atque indiuisè vnitæ, vnum sint ipse p̄sona, ipsa nimirum persona τῷ λόγῳ, terminante dependentiam naturæ assumptæ, quemadmodum scholastici locuti sunt, hoc est natura assumpta tali ordine dependente à persona assumente, vt prorsus non esset, nisi sic assumpta esset.

Communicatio vero idiomatum propriè sic dicta certus loquendi modus est, quo Deus ipse, & Ecclesia hoc, quod missò filio in carnem nostram factum est, enunciat & enarrat, & sic quidem enarrat, vt formas suas, verè enunciantes quod factum est, discernat à praestigijs fanaticorum, id est, Nestorianorum & Eutychianorum, quorum illi repudiatis propositionibus in concreto, negarunt hoc, quod factum est, id est, persona vnitatem: hi uero petulanter usurpati formis locandi in abstracto, quas de naturis secundum se consideratis intelligi uoluerunt, temerario ausu admiscuerunt operi diuino de suo, quod neq; factum est, neque traditum uoce diuina, nimirum transfusionem propriatum & actionum singentes, quæ est ipsa naturarum confusio.

Sed longiorem de hoc utilissimo Ecclesiæ Canone orationis nimirum de causis unionis personarum duarum naturarum singularis prerogatiuæ, quam natura humana Christi Christi. in lese

in sece accepit, commemorationem prolixiorcm ne ni-  
miū abutī vestra in me audiendo patientia videar, o-  
mitto : ut de causis, quare tam mirandum foedus dua-  
rum naturarum in Christo factum sit, dicere deinceps  
aliquid possim : In quo vt ea, qua cōpistis, humanita-  
te me audire dignemini, reuerenter à vobis vniuersis  
& singulis peto.

Etsi enim consilia diuina de hac tanta re magis stu-  
penda & admiranda sunt, quām quae mentium nostra-  
rum angustia compræhendere valeat : tamen aliquas  
causas, cur decretum de hac copulatione hoc modo fa-  
ctum sit, vt duæ naturæ diuersissimæ & dissimilimæ in  
personam vnam vniarentur in Christo, vox diuina eo  
ipso nobis monstrat, dum officium describit, ad quod  
missus est filius Dei, nimirum, vt sit mediator, reden-  
ptor, iustificator, & saluator generis humani.

Recitabo igitur initio causas, propter quas necesse  
fuit in persona mediatoris naturam Diuinam esse. Eas  
sic intelligi rectissime posse existimo, si cogitemus ma-  
lorum & miseriarum agmina, quibus post lapsum pri-  
torem opor-

**Quare media**  
**torem opor-**  
**tuerit esse na-**  
**opera mediatoris aliquo modo considerauerimus.**

Nam homo, qui restituendus à mediatore fuit, gra-  
uissimo lapsu offenderat Deum, infinitū bonum, Crea-  
torem suum, qui & ingentibus bonis in creatione ho-  
minem exornauerat, & de obedientia præstanda man-  
dato propouserat, & poenam, delicto contra Deum  
conuenientem prædixerat.

Hunc lapsum secuta sunt atrocia mala, videlicet de-  
sertio Dei, reatus, & ira Dei, poenæ tūm corporales,  
cum

cum spirituales & æternæ corruptio virtutum nostrarum,  
cumulans nobis iram reatum, poenam, & damnatio-  
nem, hostium atrocissimorum potentiam, & tristissima  
seruitus in hac & futura vita, amissio præstantium &  
summorum ac æternorum bonorum, cæcitas & tene-  
brae non agnoscentes magnitudinem propriæ miseriae,  
& malorum incumbentium nobis.

Ad hæc mala delenda, & amissa bona restituenda, Quæ media-  
tali auxiliatore nobis opus fuit, qui intercederet apud torem ad repa-  
randum genu  
humanū pre-  
stare opor-  
tuerit.  
Deum pro recipiendo iterum humano genere, qui iu-  
nitæ & iræ Dei pro peccato satisfaceret, qui propria  
potentia nos liberaret ab hostibus, qui sanaret vulnera  
inflicta à Diabolo, qui spolia restitueret, hoc est, qui  
omnibus & singulis credentibus applicaret beneficia  
sua, monstrando nobis fortes nostras, & bonitatem  
Dei recipientis nos propter λύτρον persolutum à redem-  
ptore, & spiritu sancto carda renouaret, qui etiam per-  
petuò adesset suis, exaudiens preces, subueniret lapsis,  
opem afferret affictis in toto vitæ huius fragilis, & fu-  
gacis curriculo, deniq; qui finalem liberationem, dele-  
tis hostibus, & sanationem integrā, pulsis omnibus  
morbis, & restitutionem æternam omnium bonorum  
plenè ac perfectè tandem, sublatis omnibus malis, com-  
municaret ihs, qui in hac vita liberari, sanari, & restitui  
cooperunt.

Hæc vero opera atq; beneficia, quomodo creatur-  
arum omnium captum & potentiam superent, quæso  
paulò attentius mecum considerate.

Etenim Mediatorem intercessorum pro alio, non  
tantum serio amore & commiseratione eius, qui reus

E est,

est, affici, & voluntatem ipsum restituendi habere, sed etiam mala atq; pericula rei intelligere oportuit, idq; multò melius, qrām reus ipse mali & morbi sui atrocitatem & periculum intelligere potest. Deinde præter delicti magnitudinem & immensitatem iræ Dei & poenarum, scire eum oportuit vtrum placari Deus velit, & qua ratione ac quibus modis ira Dei offensi leniri possit, eamq; ad rem opus erat, vt penitus nosset atq; intime perspiceret cor & mentem & voluntatem, & affectionem Dei vniuersam erga genus humanum reum & iustissimæ iræ Dei obnoxium.

Præterea in autoritate eū esse oportuit, apud Deū offendit, & ab eo diligi, vt sciret se posse efficaciter petere, & impetrare petita: imo non verbis tantum, & deprecatione illum lenire oportuit iram Dei, & exorare misericordiam, vt culpa & peena reis remittentur, sed etiam iustitiam eius tantam esse necesse fuit, vt iniuste nihil peteret, nec iustitiam diuinam irritam fieri aut labefactari vellet, sed vt aut alium monstraret, aut seipsum offerret, qui pro reo satisfaceret iustitiae Dei, non remittentis iram ex futilitate, aut negligentia quadam, aut vt homines grauiter irati, interdum oblatia aliqua causa lœtitiae, prioris offenditæ obliuiscuntur, & penas differunt, aut omittunt prorsus, sed exigentis serio & immutabiliter solutionem debiti, & restitutionem in integrum hominis a se facti & turpissimè corrupti ac depravati.

Porro vt satisficeret iustitiae Dei, necesse fuit Redemptorē ~~aut~~ persoluerere, tūm præstanto integrā obedientiam, debitam legi, tūm sustinendo penas.

Ac

Ac <sup>et</sup> n<sup>on</sup> quidem ipsum oportuit esse æquivalens,  
seu immensi atq; infiniti precij, vt fieret iusta compen-  
satio pro peccato, cuius infinita est malitia, & placare-  
tur ira Dei, cuius immensa atq; infinita est atrocitas.

Iam liberatio ab hostibus, sanatio vulnerum, restitu-  
tio spoliorum, inchoanda in hac vita, & postea con-  
sumanda in vita æterna: Imo & gubernatio ac de-  
fensio perpetua in hac vita, donec tandem post vniuer-  
salem mortuorum resuscitationem sequatur finalis &  
integra liberatio; similiter potentiam diuinam atq; im-  
mensam, superantem omnium creaturarum captum  
desiderant.

Nam Redemptorem humani generis non succum- Liberatio ab  
bere oportet iræ Dei, & poenæ immensæ atq; infinitæ, hostibus.  
Mortem etiam illum superare oportet, & frangere ca-  
put serpentis ac triumphare, & crupere morti & Dia-  
bolo captos & iuste damnatos. Ipsiis verò hominibus  
liberatis reddere oportet lucem, sapientiam, iustitiam,  
& vitam æternam.

Horum bonorum restitutio, cùm inchoanda sit in Restitutio ea  
hac vita, necesse est, eum qui partim merito, partim ef- missorum bo-  
nificacia sua Iustificatoris nostri munus præstare debet, norum. Iustif.  
hæc omnia bona annunciare nobis & applicare, vt si-  
de apprehendentibus obedientiam & iustitiam ipsius,  
non imputetur peccatum, effundere item spiritum san-  
ctum, qui accendat in cordibus veram Dei agnitionē,  
& afferat pacem & lœtitiam in pauoribus, & media  
morte, & instauret naturam corruptam ac deprava-  
tam, & paulatim deleat reliquias peccati.

Interea & fulcire, & roborare, & defendere Sal-

E 2 uatorem

*Perpetua & tratem nostrum oportet suos, aduersus furores dia-  
boli & organa eius, ne funditus cveriantur, & guber-  
natio & defensio per totam  
hanc vitam.*

*Finalis libera-  
tio ab omnibus  
malis et plena  
perfectaque re-  
stitutione in posse  
septimum & cer-  
torum bono-  
rum.*

Deum, pulsis tenebris: restituta integritate omnium virium, iustitia, & sanctitate, deleto, destructo, & abolito omni peccato: restituta etiam vita immortalis, libertas & sublata morte in omnem aeternitatem: restituta item libertate & pace, abiecto & aeternis vinculis constricto diabolo: denique redditam laetitia aeterna, sublati omnibus aerumnis, cruciatibus, terroribus, periculis, & defectibus.

Hec tanta, tam immensa, tam inenarrabilis opera, nemo nisi qui natura Deus sit, praestare atque efficere potest.

*Nulla crea-  
tura potuit ope-  
ram mediato-  
rik exequi.*

Quis enim angelorum aut hominum, aut quae tandem creatura atrocitatem & magnitudinem malorum, quibus post lapsum, genus humanum opprimum est, intelligere? Quis consilium & voluntatem Dei intuerit, & penitus perspicere potuisse, yelizine recipi homines,

nes, & instaurari quæ culpa ipsorum interciderant?

Quis vero æterni Dei iustitiam & misericordiam, & mirabilissimum illarum virtutum temperamentum, asequi, & viam scire potuisset, qua fieret, ut manente salua & immota iustitia diuina in gratiam homines recuperentur? Quis de rata atque efficaci sua intercessione certus esse, quis iustitiae diuinæ satisfacere, & precium non modo æquivalens, sed etiam dignius & præstantius persoluere potuisset, quo ad recipiendos homines Deus flecteretur? Quis præterea iram infinitam sustinere, & in poena omnibus creaturis intolerabili superesse? Quis maledictionem ac reatum aliorum tollereret? Quis mortem vincere & absorbere? Quis diabolum mortis habentem imperium, profligare potuisset? Ni si qui infinita natura prædictus, & iustitia ipsa, & vita esset, & potentiam diabolo omnibusque rebus creatis, superiorum haberet? Quæ vero creatura merito suo peccatum remittere ac tegere? Spiritum sanctum effundere atque donare, iustitiam & vitam æternam creditibus restituere posset? Quis item angelorum vel hominum, perpetuo in sanctum sanctorum ingredi, & arcana consilia diuinitatis introspicere, & corda inuocantium perscrutari, gemitus eorum intelligere, & exaudire, & decreta diuinitatis de singulis inuocantibus exequi? Quis assidue & ubique & omnibus adesse, & Ecclesiam uniuersam, ac membra singula gestare ac sustentare, & aduersus Diabolorum, hæretorum, Tyrannorum, & totius mundi furores protegere ac defendere? Quis denique vel unum mortuum, nedum tam multitudinem mortuorum, quanta inde usque ab

initio generis humani, usq; ad diem nouissimum de-  
cessit, in vitam reuocare, & electis integrar; & con-  
summata restitutio iustitiae & vitae æternæ redi-  
dere posset: nisi qui natura Deus sit, cum omnia haec  
solius naturæ diuinæ & omnipotentis propria sint?

Ergo ne fieri quidem aliter potuit, quam ut media-  
tor noster, a quo haec omnia præstanda fuerunt verè  
ac natura Deus esset.

**A**d quid pro-  
fit considera-  
tio causarum,  
cur mediato-  
rem oportue-  
rit esse Deum. Sunt aut̄ mentes nostræ multò angustiores, quam  
ut causas has arcana, cur in mediatore oportuerit na-  
turam diuinam esse, penetrare prorsus & exhaustire co-  
gitando possint. Sed ut antea dictum est, initia huius  
sapientiae aliquomodo in hac vita discenda sunt: Quæ  
quidem & doctrinam & consolationem maximè ne-  
cessariam nobis suppeditant. Doctrina est, ut agnoscā-  
mus quanta sit peccati, & depravationis nostræ moles  
ac deformitas: & quanta sit ite Dei aduersus peccatum  
magnitudo ac severitas, cum nullius creatæ naturæ po-  
tentia restituī genus humanum potuerit, nisi per filium  
Dei. Consolatio verè est, ut meritum filij Mediato-  
ris sciamus longè antecellere omnibus omnium homi-  
num peccatis, & huius efficaciam ac potentiam cele-  
bremus in assidua collectione, sanctificatione, protec-  
tione, & liberatione Ecclesiæ. De quo cum relit quen-  
da sint quædam cogitationi & experientiæ spirituali-  
piarum mentium, prolixiorē commonefactionē non  
addam: Ac ut institutam orationem tandem finiam,  
breuiter simpliciterq; adiūcam eos causas, propter quæ  
congruerit, ut mediator noster homo fieret.

Primum enim cum genus humanum peccasset con-  
gruebat

gruebat ordini iustitiae, ut aliquis in genere humano <sup>Cause quare</sup> poenam solueret. Nam iustitia diuina immutabiliter <sup>mediatore o-</sup> poenam pro delicto postulat. Hæc verò ad fontem <sup>portuerit eff</sup> pertinet, seu ad violatorem legis diuinæ. Mediatorem <sup>hominem.</sup>  
igitur, hominem esse oportuit, ut quemadmodum ho-  
mo in Paradiso peccauerat, sic rufus homo poenam  
pro hominibus persolueret.

Deinde cùm & ipsi primi homines, & tota ipsorum posteritas morti obnoxij facti essent, iuxta comminationem: Quacunq die comederis, morte morieris, et poenam hanc iuxta decretum legis in iudicatum transire oporteret, nouo et mirando decreto facto, de seruando genere humano propter intercessionem filij, artipi et quasi appræhendi totum genus humanum à filio oportuit, ne funditus interiret massa humana post lapsum, in primis parentibus iam periclitans, et initia mortis et destructionis æternæ sentiens. Nisi enim obligationem in sece receperisset filius Dei de assumenda massa carnis nostræ, et hanc reuelasset primis hominibus, edita promissione, prorsus destructum et in nihil redactum fuisset genus humanum.

At verò propter hanc assumendam massam, parciuntur generi humano, et ex faucibus mortis eripiuntur primi homines, non aliter, ac si quis heros robustus, infantulum, iam sua imprudentia, in puteum aut profundum fluuium labascentem, brachio aut digitulo extremo appræhendens, non tantum digitū illum, quem manu sua tenet, sed etiam corpus totum arreptum servet, et ex praesenti periculo mortis extrahat. Aut velut quis Pastor animosus et fortis, ouiculam faucib⁹ leo-

nis aut vrsi vnguis comprehensam, & sauciata m ac  
cruentam, percutto capite feræ, & ea debilitata, appre-  
hensio manu sua pede, vel auricula ouis, totam ex fau-  
cibus beluae præripiat. Sic igitur, cum propter pecca-  
tum homo funditus interitus esset post lapsum, filius  
Dei, iræ diuinæ, morti, diabolo, inferno, eripuit non  
suam tantum missam, ad quam assumendam se obliga-  
uerat, sed totum genus humanum, quod in assæ illi suæ  
adhærescens ab illo simul apprehensum & seruatæ est.

Verum non modo, vt poenam ab hominibus legi  
debitam in se reciperet, & a morte atq; vniuersali in-  
teritu cæteros vniuersos, velut apprehensus in sua mas-  
sa conseruaret: sed ideo etiam hominem esse Media-  
torem congruebat: quia impossibile, & veritati diuinæ  
contrarium erat, Legem, quam hec inum mentibus  
insculperat, frustra homini inscriptam & traditam es-  
se. Non enim facit Deus quidquam frustra. Fecerat au-  
tem hominem ad imaginem & similitudinem suam, vt  
integre obediret legi. Quare aliquem esse hominem  
oportuit, qui legi Dei etiam in hac vita plenè satisface-  
ret obedientia sua. Cumq; nullus hominum legem im-  
plere in tanta naturæ corruptione possit, necesse fuit  
Mediatorem nasci hominem sine peccato, vt integre  
conformis esset legi, ad cuius conformitatem etiam cæ-  
teri homines aliquando restituendi essent.

Quin & hoc sapientiæ diuinæ congruebat, vt per  
hominem restituerentur cætera dona, quæ Adam su-  
stinenſ personam generis humani acceperat quidem,  
sed fraude diaboli amiseraſ. Item vt per hominem de-  
pellerentur mala, quæ primi hominis lapsum secuta e-  
rant,

tant, ne diaboli qui bona diuina in homine extinguere  
conati fuerant, callidiores aut potentiores fuisse existi-  
marentur Deo conditore rerum omnium, vt qui miser-  
ros homines in peccatum & mortem impulso, & spo-  
liauerant, & horribiliter sauciauerant. Fit igitur me-  
diator homo velut induens nomen & personam  
Adæ, vt bona amissa in lapsu restituat hominibus,  
& opera diaboli destruat. Imo & diabolum ipsum con-  
fundat, & triumphum de eo agat in hac ipsa massa na-  
ture humanae, quam Diabolus, vt ægre Deo faceret,  
funditus antea cuartere conatus fuerat.

Cum autem illum ipsum liberatorem oporteret si-  
mul nuncium & legatum & oratorem esse inter Deum  
& homines, & tanquam interpretem a partibus intel-  
ligi & exaudiri: conueniebat eum hominem fieri, vt  
alloqui homines & intelligi ab his posset. Nisi enim ho-  
mo esset, ne quidem audire aut sustinere loquenterum  
homines, ne dum intelligere possent. Nec vero dubium  
est in ipsa naturæ affinitate & similitudine mutua inter  
interpretē & partes, momenti plurimum esse, vt ef-  
ficax sit & fructuosa eius legatio.

Accedit huc, quod cum in tanta humanae naturæ  
infirmitate, omnes homines Deum naturaliter fugiant  
& reformati, immensa misericordia Dei congrue-  
bat, vt talis nobis mediator ac pontifex esset, qui pos-  
set esse iustus & misericors, vt Epistola ad Hebraeos  
dulcissime concionatur, in sufferendis nostris infirmi-  
tatis, iesep intercessione sua coram Deo placandis  
promptius, vt qui in natura nostra, per omnia, in simi-  
litudine nostri, excepto peccato, tentatus intelligere

didicerit, quanta sit carnis nostræ fragilitas & imbecilitas, etiam cùm magna est eius excellentia.

Ad quem & nos tanto' alacrius accedere, & in magnis doloribus & trepidationibus tanquam vnum ex nobis, imo propinquum & cognatum nostrum, non despicientem carnem suam, confidentius invocare ac compellare auderemus.

Postremò nullum poterat esse certius pignus ardentis amoris Dei, & veræ receptionis generis humani in gratiam, & æternæ salutis nostræ, quām mediatoris incarnationis. Quia enim assūmit filius Dei humanam naturam, factus filius hominis, certè testari vult, sic si quod nostrum est accipere, vt quæ sua sunt, ad nos transferat, hoc est, vt ex filijs iræ, & gehennæ, filios & hæredes Dei, gratiæ & vitæ æternæ, & quidem suos cohæredes, tanquam filij vnigeniti secum efficiat. Ideo etiam illa carne nostra vestitus, cum peccato & morte congreditur, vt nostram esse victoriam & triumphum hunc, non dubitemus. Ipse quoq; æterno patri hanc carnem à nobis acceptam offert, vt facta expiatione hoc modo sciamus reatum nostrum deletum & sublatum esse. Imo hanc nostram carnem arctissimè sibi vivitam, & more nostro tentatam per omnia, gloriose ex morte resuscitat, & secum ad cœlos supra omnes principatus & thronos euehit, & ad dextram patris collocat, vt sciamus certissimè ipsum & nostra corpora eodem modo ex pulueribus terræ resuscitaturum & glorificaturum esse.

In his omnibus, quām magnæ & arduæ res considerande nobis proponantur, nulla oratio satis expōnere

nere potest. Quanta enim res est, quod diuina persona se demittit, & assumit massam naturae nostræ? Quám ingens misericordia est æterni patris erga genus humanum, quod filium mittit, ut seruos redimat? Quám excellens dignitas est humanæ naturæ, quod tam mirando fœdere copulatur filio Dei, qui quidem & in nobis talia vult efficere, qualia in massa sua efficit? Quám deniq; in omnibus ærumnis, pauoribus, & periculis, firma est fidei & spei nostræ anchora, quod humanam naturam à nobis acceptam, & nebris cognatam, & ~~deus~~ Deus arram & pignus esse voluit nostræ cum ipso & filio eius societatis perpetua, & ut Tertullianus inquit, Arrabonem secuturæ gloriae? Harum rerum magnitudinem nulla humana eloqua-  
tia exprimere potest, sed gustum aliquem experiuntur pñ in quotidianis exercitijs veræ ad Deum conuersio-  
nis, & invocationis: In qua utinam singuli saepè mul-  
tumq; cogitaremus hanc dulcissimam prectionem, à  
beata illa anima, communī totius Germaniæ præce-  
ptore, Philippo Melanchthoni olim scriptam, qua ta- Pulchra & pia  
li quadam compellatione ad ipsum filium Dei facta, precatio Do-  
mini Philippi  
Melanchthonis  
nus.

Nil sum, nulla miser noui solatia, massam  
Humanam nifl quod tu quoq; Christe geris.  
Tu me sustenta fragilem, tu Christe gubernas  
Fac masseam massæ sterculus ipse tuus.  
Hoc mirum fœdus semper mens cogitet, uno  
Hoc est, ne dubita, fœdere parta salus.

F 2 Hæc

**Conclusio Octava** Hæc de vtræq; re, nimirum de vnione duarum naturarum hypostatica, quam Iohannes Euangelista hoc breue aphorismo describit: Verbum caro factum est: et de causis mirandæ huius copulationis duarum naturarum in persona mediatoris, qualicunq; oratione in hoc amplissimo confessu dicenda esse putauimus: quæ ut boni consulatis, & rerum potius magnitudinem, quam orationis meæ maciem & squalorem spectetis reverenter vos iterum atq; iterum oro.

Tibi vero Domine Iesu Christe fili Dei viui, gratias, quantas maximas animus noster capere potest,  
**Breccatio ad finem** agimus, quod propter nos homines & propter nostrum Dei Dominum nostrum Iesum Christum voluisti nobis esse Emanuel, & clementer nos aspicis in forma hominis, cum sis Iehoua, in excelsis Deus: et te veris gemitibus oramus, ut propter tuam & æterni patris tui gloriam misericordia nostræ remittas nobis peccata nostra, et recipias nos, ut membra tua, et gestes nos tanquam de ceruice tua dependentes, doceas, regas, protegas, et serues nos, sanctifices spiritu sancto tuo, et facias nos vase misericordiae ture, et organa salutaria. Colligas etiam tibi in his regionibus perpetuò Ecclesiam, serues lucem Euangeli tui, benedicas gubernationi Illustriß: Principum, Landgrauiorum Hassia, quorum et voluntas et beneficentia heroica est erga ecclesiam, scholas, et Oeconomias, arceas a nobis dissidia docentium, et bella, et alia mala, quibus sumus tristes dissipationes in genere humano. Largiaris nobis pacem et halcyonia, ut colamus pia doctrinæ studia: denique facias, ut aliquando coram te pro

propitium videamus, et te vnā cum patre tuo æ-  
terno et spiritu sancto celebremus, et tibi pro omni-  
bus beneficijs gratias agamus in tota  
æternitate, Amen.

DIXI.

F 3 Rector

# RECTOR IN

CLYTÆ ACADEMIÆ MARPVR-  
GENSIS HIERONYMVS SCHLICK COMES  
de Passau, Dominus in Vveiskirchen et Schla-  
ckenverda, &c. pio Lectori,  
S. D.

**R**edit ad nos dies festus, quo memoria solennis celebra-  
tur operis divini, omnium maximi, quod multo ma-  
gis, quam rerum omnium creationem angeli admi-  
rantur, quodq; ipsi humano generi annunciarunt  
hac latissima voce, quam admiratio tantæ rei q; ex-  
presit: Ecce annuncio uobis gaudium ingens, quod  
erit uniuerso populo, quod natus fit uobis hodie sal-  
uator, qui est Christus Dominus.

Nec uero dubium est, quem agmina cœlestia angelorum & hominum  
beatorum, hoc ipso tempore nobis eum una extentur, & gratias agent  
Deo, pro inenarrabili consilio, ostendo in ordine redemptoris generis hu-  
mani, & in tota missione filij Dei: sicut tunc, cum Christus nasceretur ex  
alto Marie virginis, hymnum augustum cecinit chorus angelorum: Glo-  
ria in excelsis Deo & in terra pax, hominibus letitia. In hoc augusto  
hymno, quem genethliaci instar cecinerunt tunc angeli Christo, producent  
en has terras assumpta hominum natura diligenter accuratè: consideran-  
do, potissimum huius festi partem consumere pius decet. Nam uelut pre-  
centores nostri facti: & Deum in hoc dulcissimo carmine suo celebrant:  
& hominum generi gratulantur de missione filij in carnem nostram: &  
beneficia ac fructus nativitatis Christi prædicant: & cultus noui testa-  
menti proprios describunt: Imo & uite illius securæ opera, conditio-  
nem; & imaginem nobis ante oculos atq; animum proponunt. Cum enim  
gloriam

gloriam Deo canunt, clare profitantur, quod uerè sit Deus, & quis sit, mirum, eternus pater Domini ac liberatoris nostri Iesu Christi, & huic uni uero Deo tribuunt laudem iustitiae, bonitatis, misericordiae, sapientiae, ueritatis, libertatis, & omnipotentiae. Harum enim uirtutum omnium maximè illustria testimonia in hoc mirando opere incarnationis filii omnibus creaturis proposita esse agnoscunt, & pro hac patefactione leti gratias Deo agunt. Deinde cum ad gloria diuine celebrationem uotum adiungunt, quo & pacem terris optant, & latitudinem hominibus precantur: affectum suum exprimunt, quo letantur de salute generis humani, quod cum sciant conditum esse ad societatem eternæ beatitudinis, qua ipsi fruuntur, & doluerint ante a, odio diaboli auilsum esse à Deo, magnopere nunc gaudent per filium Dei & uane felicitatem, seu conglutinari rursus cum Deo, tanquam cum capite, ut uite coelestis, & omnium bonorum aeternorum fiat particeps. Preterea & que sint illa bona eterna, id est, quo & quanta beneficia, seu qui fructus sint incarnationis filii Dei, non obscurè docent. Hæc enim bona significant secum afferre Christum: prædicuntem in hunc mundum, uidelicet, ut gloria Deo reddatur in genere humana, & pax atq; letitia restituatur hominibus. Quid ut intelligi alio quomodo posse, antithesis consideretur, in qua collatio fiat eius status, ad quem initio homines conditi sunt, cum tristu illa confusione, qua lapsus primorum hominum secuta est.

Talis erat homo conditus initio, ut uni Deo; cuius agnitione integras fulgebat in mentibus, ueram gloriam tribueret. Erat & in hominum natura pax, id est, acceptatio hominis coram Deo: & letitia, id est, sensus uitæ & gaudij inenarrabilis, & studium prompte obediendi Deo. At post lapsus homines carent gloria Dei: sunt & hostes Dei, & abiecti à Deo: Et in sensu peccati & mortis aeternæ opprimentur doloribus, & tremunt atq; indignantur aduersus Deum. Instaurat igitur Christus natuitate sua bona amissa in lapsu. Nam in solo Christo uera fide agnito atq; appresentato à nobis, gloria Deo redditur, id est, agnoscitur, uerè & esse Deum, & cum iustum, misericordem, sapientem, ueracem, bonum, & omnipotentem esse. Instauratur in Christo & pax, id est, fides agnoscens misericordiam, & in hac acquisiens, accipit reconciliationem cum Deo, imputationem iustitie, & hereditatem uite eterna, & experitur sensum uisitie consolationis in medijs paucoribus ac terroribus, & in criminis fecit de-

tit defensionem diuinam & uictoriam aduersus hostes. Deniq; & letitia  
ueria in Christo instauratur, id est, consolatio magis magisq; accenditur in  
animis, & uoluntas ac cor subiiciunt se Deo in prestanta obedientiis,  
quam Deum tum in agendo, cum in patiendo a nobis requirit.

Nec uero de cultibus Dei, qui inchoantur in ijs, in quorum cordibus  
Christus resuscitur, dici quidquam, tanta breuitate & uidentia uerborum  
potest, quam in hoc ipso hymno sit, cum angeli rem totam tribus membris  
conscient, que non dubium est congruere ad tres priores petitiones Ora-  
tionis Dominicæ. Quodam enim, in Dominica precatio dicitur de san-  
ctificatione nominis diuini, de gubernatione seu regno Dti in nobis & de  
obedientia nostra congruente ad voluntatem Dei: id glorie, & pacis, &  
letitie nomine complectuntur angeli. Hos uero cultus significant non posse  
inchoari nisi agnito Euangeli de Christo. Nam corda, que non agnoscunt  
Christum & eius beneficia: aut sunt secura seu epicurea, aut hypocrita,  
nec Deo ueram gloriam tribuant, nec fide accipiunt reconciliationem cum  
Deo, nec serio se Deo subiiciunt, sed contumelia horribili Deum afficiunt,  
& aduersus Deum inimicitiam perpetuam exercent, & in sensu poeniarum  
prorsus a Deo deficiunt, & in eternam desperationem rident.

Contrà uero soli credentes in Christum tribuunt gloriam Deo, id est,  
agnoscunt mirandum temperamentum inslitie & misericordie in Deo,  
& fide apprehendentes Mediatorē, invocant Deum, & ei gratias agunt:  
& quia credunt Deum esse reconciliatum propter filium, non fugiunt Deum,  
sed accedunt ad eum, & in eo acquiescent. Ita inchoatur in animis simul  
dilectio Dei & proximi, accenditur patientia, humilitas, spes, & carita-  
tē uirtutes congruentes cum uoluntate & lege Dei. Hi sunt interiores illi  
& uere spirituales cultus, quos maxime Deus probat: Qui eis in hac vi-  
ta sunt languidores, & sepe impeditiunt propter ingentem mollem na-  
seriarum, quibus sancti obnoxij manent propter reliquias peccati, heren-  
tes in natura hominum: tamen in uita eterna ardenteres erunt, ubi qui-  
dem & beneficia Christi magis fulgebunt in beatis.

Itaq; hoc hymno suo angelii simul ad illum futurum statum eternæ &  
beatæ uitæ nos deducunt: In quo Deus coram agnosceretur, & eterna ac  
uera laude celebrabitur. Tunc enim intelligemus, quid sit Deus & quomo-  
do sit conditus homo. Intelligemus iram Dei aduersus peccatum, & præ-  
dicabimus misericordiam. Conficiemus filium Dei, & qualis sit illa mi-  
randa

Et in d<sup>e</sup> unio diuinæ et humanae naturæ uidebimus. Cernemus quomodo semper affuerit Ecclesia, et quomodo facta sunt miranda liberationes, intercessio post lapsum, & assidua gubernatio & protectio Ecclesie. Tunc igitur plenè laudabimus potentiam, iustitiam, bonitatem, & misericordiam Dei, & filij eius, Domini ac liberatoris nostri Iesu Christi. Erit tunc & pax integræ, quia nulla erunt in nobis reliquæ peccati, & Diaboli ac impiorum omnes erunt in supplicijs æternis, & mors erit abolita, Ecclesia ardebit dilectione Dei, & studijs colendi Deum, & erit dulcissime consociata benevolentia, nihil odiorum, disidiorum, tumultuum, & factionum erit: denique & letitia solida & perfecta erit, quia ipsis hominibus benè erit, & suauiter fruentur conspectu Dei & Christi, et mutua consuetudine cure sanctis angelis, & magno impetu ferentur ad præstantium obsequium Deo.

De his tantis rebus, uidelicet de gratiarum actione erga Deum pro plurimis ipsius patet actione quæ lucet in missione filij, de letitia angelorum exultantium propter nostram salutem, de beneficijs Christi, de cultibus nocti testamenti, de statu futuræ uitæ, cum hymnis angelorum nos commonefaciat, non tantum uerba cognoscenda, sed sententiam quoq; intimis personis insigendam, & uoce, affectu, moribus, exprimendam esse in omnibus uita sciamus. Ut autem angeli prius pastoribus annunciant nativitatem Christi, ac postea augustum illum hymnu addunt: sic animi nostri uel praeparandi uel accendendi sunt cognitione doctrina, quæ in Ecclesia orthodoxa traditur de incarnatione Christi, & de causis eius incarnationis, uera gratitudine celebremus filium Dei, Dominum ac liberatorem nostrum Iesum Christum, pro immenso isto beneficio, quod cum hac nostra misera eternam natura æternum foedus iniuit, assumpta nostra massa fragili, & misera pellicula humana, obnoxia errunni & morti, ut nos infertos naturæ assumptæ sustentaret & gestaret ad uitam eternam.

Quonobrem, cum hodie à prandio post pulsum quadrante hora ante primam, orationem de precipua & maximè necessaria parte doctrina, quam in hoc festo ecclesia Dei sonat, recitatur finis, ut initium faciamus pio instituto, quo inclita hac Academia, una tecum, graui consilio sancti, ut post hac semper festis illis eximijs, pars doctrinae publica oratione explicetur, quæ tum publicè ecclesia proponi solet: ut faveare bonas mentes hinc principijs sanctionis nostre, à religiosa pietate, (ut confidimus,) non

1563967

attene appareat, Dominos quidem professores & alios amicos, & studio-  
sam iuuentutē quoq; quos sponte libenter interfuturos huic actui scimus,  
ad hunc ipsum amanter invitamus, ceteros officij ratione hortamur, cum  
quod & per se hoc laudabile est, et exemplo prodest, tum ut simul etiam  
coniungamus uota ac preces nostras pro felicibus auspicijs noui anni, qua  
ut sint ecclesie & Reipu. Christiana, scholis, & oeconomijs salutaris,  
eo ardenter petere nos à Deo decet, quo grauiora pericula imminere tam  
uaria ostenta, portendunt. Bene & feliciter ualete. Publicè propositum  
ipsa die natali Domini nostri Iesu Christi, Marpurgi: desitente

Anno postremi temporis millesimo quīngentesimo  
septuagesimo septimo.

Excusum Marpurgi per Au-  
GUSTINVM COLBIVM ANNO  
DOMINI SERVATORIS NOSTRI.

1577.





